

præsertim non tacto simul vel materno vel paterno, mirandum non esse, si moribus atque lineamentis faciei utriusque parentum similibus careat, imò prorsus degeneret, adeoque verus ne pater sit, qui perhibetur, an verò leno, [sive activus sive & passivus fortasse ignarus] pronuntiari non posse. Si verò insuper omnia signa in cardinibus natalitiis nati constituta, à sole item & luna possessa à signis hujus generis apud utrumque parentem discrepaverint, modò hora diligenter sit notata [quamvis quodlibet signum integrum ferè bihorium motus diurni, ad hunc vel illum circulum aut cardinem collatum consummat, ut ita levior error nihil hac in parte importet] fateor rem mihi, cui nullum hoc in genere exemplum compertum est, sinistra suspitione non carere. Quamvis argumentis in hoc genere Politicis in foro accenseri, propter miras naturæ latebras & in gratiam *ἐπιεικείας* Christianæ, & quòd hæc quantumvis mihi certa, non omnibus tamen æquè explorata sint, non debere libenter fatear. Conf. si placet *Nucleum Astrol. correctæ à me editum. cap. 5. §. 5.* Atque ita se habere rem circa sidera in purè naturalibus deprehendet, qui rectè attenderit. Quod autem ubi de viribus astrorum in *Physica mea* ago, *prolixè me* non tantùm de hisce, sed etiam *de actionibus humanis differere ait*, Watsonius: more id facit solito quidem, sed non tali, qui candidum disputatorem [ne quid gravius dicam] decet. Quid enim differo ego de actionibus humanis in *Physica mea*? quarum ne verbo quidem mentionem facio, nisi hoc de illis interpretetur Watsonius, quod *postulato VI. lib. I. part. spec. cap. 1.* dico, *planum me putare SIGNIFICATIONEM insigniorum constellationum esse etiam ex parte rerum politicarum, ad STATVM, (non ad ipsas actiones, quæ liberæ manent, eventu interim in DEI manibus posito) Ecclesiæ potissimùm pertinentium, addito inter alia, talia hùc [ad Physicam] non pertinere, quemadmodum & eorum nullam amplius in Physicis facio mentionem.*

Quæstio V.

An doctrina de Cœlo in *Physica mea* Aristotelica respiciat nonnihil de consensu cum Copernico de motu terræ?

§. 1. Hoc tribuit mihi Watsonius prope finem pag. 523. his verbis: *M. Abd. Trem in Phys. Arist. part. spec. lib. 1. cap. 2. Telluris motum*

C

non